



VArcomirus filius fuit Antenoris Scytharum regis, qui à Gothis in bello cum multis alijs cæsus fuit. Hic Marcomirus magna fortitudine insignis in patris locum rex electus est. Cum autem ea regio hominum multitudine abudaret, ipse primus populum suum anno septimo imperij, qui erat creationis mundi termillesimus quingentesimus tricesimus, in Germanorū fines ad hostia Rhe ni perduxit, & ibi nouum regnum inchoauit, ex quo tandem utraq; Franciæ regna propagata sunt. Huius migrationis etiam Herodotus libr. 4 meminit, cum dicit, quod Scythæ Cymerios regione cedere coegerint. Erant tum eorum, qui patria egressi sunt 489360. præter ieruos & famulantes. Hic populus à vicinis Saxonibus Neumagen, tanquam noui amici, primo dictus fuit. Inde à Cambra regina Sicambri, postremo à Franco rege Franci appellati fuere. In eo loco cum Marcomirus suum regnum fundasset, & magna laude primum in Galliam imperium fecisset, eam regionem ad Mosam fluuium usq; subegit. Tadem anno regni uicesimo octavo mortuus, Antenorem filium successorem habuit. Erat Cambra huius Antenoris uxor ex Britannia oriunda, à qua populus Sicambri dicti sunt. Titem. & Ioan. Funccius in Chronologia.